



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Ilithyia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

A Romanorum ordinibus, nuncupationibus, vexillis, & gestaminibus, ad Theodosium & Valentianum inscripto, lata de Thoracomacho indumento laneo Lybicis pellibus cooperto mentio est. Sed usitatissimus semper fuit corii usus in militaribus tegumentis. Hinc apud Maronem nonnulli, *Æneid. l. 7.*

*Lupi de pelle galeros
Tegmen habent capiti, vestigia nuda sinistri
Instituere pedis, erudus tegit altera pero.*

BLEBECULA. XVIII

Tunica autem, plebecula signum erat, eaque etiam servi utebantur. Vulgatissimum enim est, Tunica aliquem ex Romana plebe significari. Unde Horatius, epist. lib. i. epist. 7. *Vulgue imperitii & tunicaus populus trans-*

Vilia vendentem tunicato scruta popello.

Quæ vero esset tunicæ species, Nonius explicavit, cum sine manicis eam esse dixit, & plurimum talarum sine manicis esse ostendit, indumentum aptum ad opera faciendâ, eaque gens otii propemodum nescia erat. Hinc Virgilius vulgo gratulaturus, manicatos irridet, utpote minus idoneos qui bella negotiave, aut artes ullas tractent. Numanum enim Latinum hominem sui generis strenuitatem ja-

ctantem, & imbelliam Phrygibus objectantem, ita loquentem inducit:

Et tunica manicas, & habent redimicula mitra.

Æneid. l. 7.

ILITHYIA. CAP. XIX.

Sed ut antiquiora repetamus, Atheniensium institutum fuisse Paufanias tradit, ut Ilithyia simulacra ad imos usque pedes contegerentur. In Divinis vero literis tum tunica, tum color ejus hieroglyphice consideratur. Pontifex enim præter interiorem tunicam, quæ sit ex lino, materia quippe terreftri, Podere etiam vel hypodyti dicamus hyacinthino induebatur. Cælestis enim color, dubio procul est hyacinthinus, monumentoque est cælestia demum meditanda, cælestia tractando, cælestia discutienda, totamque mentis agitationem circa ea, quæ cæli sunt exercendam. Sunt vero interpretes, qui non Hypodytin, sed Epanytin edidere, quod indumentum signat quod superinducitur, nimirum enim hypodytis interior est tunica, quæ primam nostram indicabat generationem, ut apud Hierosolymitanum Hefychium. Alii exponunt, quia hominem ostendunt interiorem: alii tunicam hujusmodi justitiam interpretantur. *Hypodytis Pontificis indumentum.*

DE PODERE. CAP. XX.

Est autem poderes, ut Eucherius, sacerdotalis vestis linea, corpori penitus adstricta, eademque talaris, *ἰσὸν τῆς ποδῶν* appellata *ποδῆγος*, quæ & subucula dicitur. Per hanc igitur, quippe quæ vestimentis aliis subjiciebatur, doctrinam sacrationem intelligi veteres Theologi tradiderunt. Exodo: *Et fecerunt vestimentum poderum sub umbone, opus textile, totum hyacinthinum.* *Exod. t. 28*

PUDICITIA. CAP. XXI.

Quod vero in numis & monumentis aliis antiquis velata nonnumquam facies observantur cum inscriptione PUDICITIAE, non tam ob flammeum, quo novæ nuptæ faciem obnubere solita sunt, cum ad virum traducerentur, unde illis nuptarum nomen, quam ob historiam institutum crediderim, ut ita fieret. Ab Icario enim Penelopes patre simulacrum ejusmodi dedicatum Pudori ferunt, Græcique historiam super hac re hujusmodi conscribere. Cum Icarus ab Ulyse frustra contendisset, ut Lacedæmone habitare mallet, id demum filia persuadere conatus est, cumque acrius instaret, ne se desereret, Ulyses iussit ut ea sponte sequeretur, aut cum patre, si gravaretur, Lacedæmona rediret: Penelope obtecta facie, nihil quicquam respondebat, quare pater intellecta filia sententia, eam dimisit, & in facti monumentum, eo loco pudoris simulacrum erexit, quod in Laconia spectabatur. In numo, cujus inscriptio est, SABINA AUGUSTA HADRIANI AUG. ab altera parte dea sedens velo faciem cooperta, digito dexteræ indice ad jugulum admoto conspicitur, cujus inscriptio est, PUDICITIA. In alio Herennia muliebre sigillum sedens cum conto in lavam ulnam jacente, dextera velum ante faciem obducit, inscriptio est, PUDICITIA AUG. In eo quoque, cujus literæ ab una parte sunt, MARCIA OTACIL. SEVERA AUG. ab altera sigillum est, quod velum in faciem præten-

Sabine Adriani Aug. Herennia numi.